



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis  
Dissertationes**

**Conring, Hermann**

**Helmestadii, 1674**

Reverendissimo Celsissimoqve Principi Ferdinando Episcopo  
Paderbornensi Coadivtori Monasteriensi ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12929**

**REVERENDISSIMO CELSISIMO QVB  
PRINCIPI**  
**F E R D I N A N D O**  
**EPISCOPO PADERBORNENSI**  
**COADIVTORI MONASTERIENSI**  
**S. R. I. PRINCIPI**  
**COMITI PIERMONTANO**  
**ET**  
**LIBERO BARONI DE FVRSTENBERG**

*Felicissima omnia*

*de voto animo*

*precatur*

**HERMANNUS CONRINGIUS.**

**C**onsecro Celsissimo Nomi Tuō ,  
PRINCEPS , librum nec magnum mo-  
le nec tractatione eleganter politum ,  
atq; adeo hactenus fateor ara isthac sa-  
cra indignum : qui tamen argumento saltim suo hoc  
ipsum promeretur . Enimvero agit ille de Scholis ,  
non puerilibus , sed iis in quibus sublimior quævis  
literatura doceri consuevit : quæ illarum origo , quis  
status , quæ fortuna , qualia instituta , qui mores , qui  
ritus , & quidem ut illa omnia & ubivis gentium  
& omni tempore sese habuerint . Hæc narranti-  
bus aures benevolas præbere , non utique alienum à  
magnitudine sua existimare , forte etiam Regum ac  
Principum optimi possunt : quandoquidein iidem  
scholas ejusmodi magnificis impensis & instituere  
& fovere , ad gloriam ita officium suum pertinere ,  
jure merito passim terrarum arbitrantur . Quemad-  
modum videlicet ex civilium rerum historia rei-  
publicæ ipsiusmet regendæ prudentia accipitur ,  
ita & literariæ ejusmodi narrationes idoneæ sunt  
docere rectam Scholas illustriores quasq; instituen-  
d rationem : quæ peritia Regibus Principibusq; me-  
lioribus non minus ac reliqua civitatis gubernandæ  
ars est conveniens . Etsi vero ex commentariis  
hujus generis tantum proficere non sit cuiuslibet ,  
aut

aut etiam fieri id omnino nequeat; justum tamen  
est, ut saltim ex illis non minus voluptatem capi-  
ant Scholarum nutritii Principes, quam ex belli pa-  
cisque negotiorum relationibus, ac proinde haec  
etiam curatio non sit illorum fastigio indigna. Ejus  
magni ordinis neminem illud ipsum, CELSISSIME  
PRINCEPS, Te rectius intelligere, equidem haud  
dubito. Præterquam enim quod liberaliter habeas  
à magno patruo inque sacro Principatu antecessore  
Theodoro constitutam Academiam, quod item  
studio rerum antiquarum omnium mire capiaris,  
imo omnigenam colas literaturam ejusque rerum  
peritia multum delecteris: quod rarum est Princi-  
palis Tui generis decus: ipsemet usque adeo vales  
rerum quarumvis veterum notitia, ne quid nunc  
dicam de Poëtica facundia, quo in campo plane si-  
ne æmulo regnas, ut Tuæ Principum classis similem  
Germania nunquam viderit, forte nec unquam sit  
visura. Id quod, ne cui videar plus justo Tui vene-  
rationi ex affectu tribuisse, efficiunt re ipsa quæ in  
lucem publicam jam tum edidisti, cum Poëmatum  
libri tum Paderbornensia Poëtico pariter & Histo-  
rico calamo illustrata Monumenta, sine exemplo  
& doctrina varia & elegante cultu longe præcla-  
rissima. Nullus dubito autem; multo maxime

animum illum Tuum, præstante & eruditione &  
virtute & bene de publico ac posteritate merendi  
studio incomparabilem, patefactum omnibus et-  
iam futuris seculis iri, simul in vulgus prodierit il-  
lud quod nunc adeo sub manibus tibi est volumen  
grande, de Sacrae Tuæ ditionis Principatusque re-  
rum ab omni retro ævo ad hanc usque tempesta-  
tem repetita memoria. Spero autem vel hoc ope-  
re, vel alio quodam singulari, antiqua quælibet sci-  
tu digna etiam reliquæ Tuæ Angariæ ac Westpha-  
liæ narratum iri, pro ea quâ vales omnium istorum  
cognitione pariter & studio. Et vero ex terris istis  
fortissimi quondam Germaniæ populi prodierunt,  
etiam illi quorum origo passim ignoratur. Me sa-  
ne judice, ipsosmet Marcomannos Harudes & Se-  
dusios vetustissimas sedes non alibi habuisse, indi-  
cant vocabula oppidorum quæ etiamnum super-  
funt. Quemadmodum videlicet à Marca hodie  
Comitatui Marcano, ita olim Marcomannis fuisse  
nomen: ab eo quod nunc Dusburgum audit Sedu-  
sios quondam appellatos, & Harudum oppidum  
illud quod nunc popularibus dicitur **Rüden an**  
**der Gar** fuisse olim, mihi sane per est verosimile.  
Ilos autem tres populos in unum denique Mar-  
comannorum nomen coaliuisse, & Maraboduus  
duce

duce Bojohemum, pulsis trans Danubium aut in  
servitutem redactis Bojis, Gallica gente, notum ex  
Romana Historia: nisi forte Sedusii & Harudes  
Quadorum sibi cognomentum adsciverint, propria  
in Moravis condita republica. Quantum conjicio  
autem, ipsi hi populi, pulsi post à Czechis Venedis,  
aut sponte relictis Germania, Noricoq; occupato, Bo-  
joārii nunc cognominantur. Francos præterea illos,  
qui Rheno trajecto in Galliam commigraverunt,  
ex iisdem terris fuisse oriundos, ego quidem itidem  
censeo. Illud sane nomen præter alios sibi assumfisse  
& Bructeros & Chamavos & Ampsivarios & Am-  
brivarios & Angrivarios, haud difficile est probatu.  
Superant vero etiamnum in vicinia Tuæ diœceseos,  
**PRINCEPS**, vestigia illarum appellationum.  
Chamavorum in oppido quod nunc vulgo Kamen,  
Bructerorum autem in Broec oppidulo, etsi quo  
tempore Francum cognomentum hi acceperunt,  
patriis pridem antiquis sedibus pulsi, ad ripam Rheni  
Germanicam circa Vangiones confederint. Sed  
& Ampsivarios dictos à flumine quod accoluerunt,  
nunc **Amser** vel **Emser** vocato, & Ambrivarios  
ab Ambro amne ut antehac & Sicambros, Angriva-  
rios autem ab **Angez** fluvio qui in Ducatu Bergensi  
Rheno mergitur, post à sece cognominata loca **An-**  
**germūn-**

germānde/ Angerhusen/ zum Angern/ non  
futilibus potest probari argumentis. Nec vero  
est quod dubitare quem faciat, Francorum no-  
men iis in locis haud superstes. Id enim conti-  
git, quia omnes isti Franci in Galliam transierunt,  
nulla in Germania sobole reicta : secus quam fe-  
cerunt illi quorum posteritas etiamnum Orien-  
talem Franciam incolit, cum tamen jam Sidonius  
Apollinaris dixerit

*Vlvosa Francum Nicer abluit unda,  
imo jam Ausonii ætate fuerit*

*Francia mixta Suevis,*  
perinde ut ibi hodie: quia etiam omnes populorum  
illorum terras Westphali Saxones in suam ditionem  
ac nomen deinde transtulerunt. Etiam hæc, inquam,  
& similia Te traditurum P R I N C E P S C E L S I S-  
S I M E equidem spero ; quandoquidem cumpri-  
mis hoc vergit ad Westphaliæ gloriam: certe non  
minus atque illud omne quod Monumenta Tua  
Paderbornensia jam tum docuerunt. Et vero ut  
ego heic quoq; spem istam meam non dissimulem,  
quam maxime facit admiratio Tuæ harum quo-  
que rerum excellentis peritiæ: idque quandoqui-  
dem præter alia Tuum hoc omnis vetustatis stu-  
dium mihi certum paulo ante præbuit argumen-  
tum,

tum, haud fore ingratam Eminentì Tuæ dignitatì  
(liceat mihi per mores nuperrime demum ceptos  
de Te usurpare, appellationem olim communem  
Episcopis quibusvis) factam abs me libri hujus con-  
secrationem. Ne quid vero dissimulem, id uti aude-  
rem incitavit me porro, cum exemplum multisorum  
præstantium scriptorum, qui cum ingenii sui mo-  
numenta Celsissimo nomini Tuo inscripsissent per-  
quam benigne fuerunt excepti: tum præcipue inusi-  
tata illa gratia qua me jamdudum es prosecutus. De-  
cem videlicet jam & quod excurrit annos est, cum  
nihil tale exspectantē, non Epistola duntaxat longe  
humanissima, sed etiam donato Illustrium Poëma-  
tum libro, honorare me non dubitasti. Ex eo autem  
& literis frequentibus manu propria quasi ad fami-  
liarem exaratis, & muneribus compluribus, proba-  
tam semel benevolentiam plusquam Principalem  
confirmasti; ac proinde etiam mihi fecisti audaciam,  
vicissim non attento propemodum fastigio Tuo, li-  
terarium commercium tecum instituendi. Adhoc  
in opere illo tuo incomparabili Paderbornensium  
Monumentorum illo me invidendo præconio  
publice affecisti, ut nemini non queat apli irere,  
dum supra meritum laus exsurgit, quam sit exuber-  
ans Tua erga me benevolentia. Quemnam vero non

) : ( ) : (

etiam

etiam justo audaciōrē reddat tantus Celsissimi imo  
& literatissimi Principis affectus? Me ad libri hujus  
consecrationem etiam hoc Tuo favore impulsum  
esse, equidem haud diffitebor. Coēgit vero huc  
etiam officii mei ratio: quia scilicet postulat grati-  
tudo, ut meum aliquod exstet, etiam ad posterita-  
tem, venerationis qua Eminentis virtutes Tuas colo  
monumentum. Haud me fugit quidem, tenue  
hoc omne esse & longe majora Tibi offerenda:  
at vero nunc quidem aliquid grande ad manum  
non est quod Nomini Tuo dedicem, & fortassis  
argumentum hoc literarum affectui eruditii Princi-  
pis sic satis est conveniens. Quod si tamen & Tu  
**CELSISSIME DOMINE** perrexeris favere, & se-  
nectuti mēā valetudinem ac vires Deus concesserit,  
majore Te religione abs me affectum aliquando  
iri, sancte polliceor. Helmestadii in Academia  
Julia ix Kalendar, Augusti cīc iō c lxxiv.

HERMAN-